


SERENISSIMO
ALBERICO CYBO
PRIMO DVCI MASSÆ.


In eiuſdem Filij CAROLI Primi Principis Carrariæ
à pernicioſiſſimo exactam morbo ſalutem.

CARMEN VOTIVVM

Franciſci Berrettarij Carrarienſis.







MASSÆ, M. DC. LXXXII.

Typis Hieronymi Marini. *Superiorum permiſſu.*







SERENISSIMO ALBERICO CYBO PRIMO DVCI MASSÆ VOTIVVM CARMEN

Francisci Berrettarÿ Carrariensis.

SAT lacrymis, refluisque genis, sæuoque dolori
Afflictis animis, ac mente indulsimus ægri.
Exultet rediuiua Salus, quam subdidit audax,
Erubuitque colus demisso vertice frustrà
Parcarum tentasse Trias! Cadat angor: abite
Mœrores, nobisque vnà vigilantibus adsit
Ille diù per Vota vigor, quibus vndique plaudant,
Decertentque hilares festiuo in carmine Musæ.
Tu vero, ALBERICE, audi Dux inclyte vocis
Iubila gratantis plectro, fidibusque sonoris,

Soluere, quod noui, propero; tibi debita iure
Dona fero, sacrisque tuis Holocausta repono;
Quæ si fortè placent, reliquis appensa Tabellis
In Templo pariter Pacisque, tuæque Salutis
Omne supra nomen Famæ, seruabis ad annos.
Illa vnquam si fortè mihi præfulsit amica,
Læta dies aderat, Phœbusque à Virginis astro
Prolapsum soluebat iter; cum nuncius idem
Assiduus, qui blanda mihi de more solebat,
Denique mœsta tulit; concepto scilicet ægrum
Vexari CAROLVM, morboque vrgente grauari.
Hinc igitur propulsa quies. Tum quarta subibat,
Septimaque aridius multa formidine circùm
Præterijt Crisis febri recalente supina.
Heù fera tempestas, inopinaque fata benigni
Principis! orta Lues adeo miseranda cucurrit?
Sed quid ego? Obstructus lacryma spatiabar amicis
Vallibus, & colles, Arunteosque recessus
Nunc huc, nunc illuc agitata mente petebam;
Vt cum sæpe Canis, qui dum Venaticus errat
Per saltus, vallesque cauas, iam feruidus ore
Exagitat, pedibusque leuis, fidusque secutus
Nare feram; si forte caput leuat arduus, implet,
Mox præda amissa, ac Domino, clamoribus auras.
Ecce autem intremuere statim (mirabile dictu,
 Nec

Nec re credendum !) rupes, concussaque tellus,
Terque, quaterque specus, sonitumque dedere cauernę.
Horrui inaccessas cautes ; dehinc æger anhelis
Viribus has tandem diuelli à pectore voces:
Da, Pater; (agnoui:) & misero succurre precanti
Cara mihi, cui sæpè tua excantata per vmbras
Indulsere sacris repetita Oracula monstris:
Sique licet, metire meos impunè dolores
Tu, qui cuncta sapis, vel Tela trisulca, vel astra
Prospicias, aut exta recens, fibrasque reuoluas.
Tu potes ; Auspicibus Diuis solare parentem
Propitius, natisque decus iuuenile Teresam
Connubij, populisque Domum solare Cybeam;
Sæpius (affer opem) placitis cumulabere donis,
Carmenque incisum seclis hac Rupe notabo:
QVI Votis, Musisque meis facis otia Vates,
Pro CAROLO exactæ tibi sint monumenta salutis.
Vix ea fatus eram ; bibulas hæc protinus aures
Vox adit, ac sancta replet formidine pectus:
O dilecte mihi, ac Phœbo ; vetus accola nostri
Montis, vbi calamo Diuos veneraris agrestes,
Pieriosque colis Sagrino in vertice Musas;
Stat sua cuique dies: ægris neque parcitur vlla
Proluuies animis, fessisque incommoda membris
Perpetuam non vlla queunt seruare quietem.

Triſtè doles; (neque enim fruſtrà vexaris, (acerbum
Dum patitur venis turbato ſanguine virus,
Igniuomique ſinus incendia CAROLVS haurit,
Heù tabes, indigna pij quæ rumpat in artus
Principis, & populos cruciet tot amara fideles!
Nunc cœleſtis Amor, ſit qui, cum feruidus illi
Corda prius, ſanctoque ſinum calefecerit igne,
Concurrat, putridaſque importuno hoſte cateruas
Arceat omninò, longèque exterminet Aula,
Pandoræ influxus Vrna reuorante malignos;
Qualis ad intuitum Iouis omnipotentis, iniqua
Ventorum rabies, ſtipatis nubibus, vrget
Aerios, quidquid genuit natura, per orbes.
Quid dubitas? Regere imperij conſtanter habenas
Principis huius erunt partes, quibus vndique natus
Aequa Lance Patrem, laudeſque imitetur auitas.
Haud incerta cano, nec vana in Aruſpicis arte
Proceſſus elementa ſuos, nec ſydera fallunt
Iamdudum celebres, vetereſque Aruntis honores.
Vt primos igitur Phœbeæ lampadis igne
Attigerit par Libra dies; (domus apta ſecundo
Eximia pietate Viro:) mox turbinis inſtar
Morbificam Cœli ſubita formidine plebem
Cruda relinquentem vaſis mala ſemina fæcis
Turpè videbis aquas; Stygiaſque ſubire paludes;

Nanque

Nanque hominum, Diûumque parens, æterna potestas
Principis egregias adeò virtutis ab alto
Iam solio miseratus opes violenta fugabit
Agmina, nec tantas iras, commentaque vulgus
Inconsulta feret, nec vim patietur inultus:
Gaudebit CAROLVM genitor per vota, precesque
Spem populis, columenque suis reuocasse futurum.
Et simul hæc dicens vox vnà, & Vatis imago
Corripuit, seseque specu tulit Vmbra silenti.
His itaque auspicijs, monitisque vrgentibus inter
Lætitiam, dubiumque metum; qua, nescio, somnus
Vi rapuit subita prostratum gramine corpus:
Nec mora: continuò dum me sopor altus haberet,
Visus adesse senex, cui barba impexa cadebat,
Canitiemque ferens, viridemque in veste colorem:
Hinc atque hinc pueri geminatis viribus vltro,
Scipiadæ veluti, fulcibant membra frequentes.
Lætus erat, medicasque artes, quas ille gerebat,
Depositas vidi, morbisque auertere. Fas est,
Nunc, ait, ingenui deuotæ Principis Aulæ
Hoc videas tantùm largiri è pectore curas.
Desine; iam precibus venerunt Numina tecum
Præsidio, morbique omnes cessere phalanges
Supplicibus votis. Viuet gratissimus astris,
Terrisque emeritus Princeps, qui ritè superstes

Iura

Iura dabit populis, magniſque Nepotibus addet
Hinc documenta ſuis. Nec plura. Ego pectore pleno
Gaudia concipiens lacrymis onerabar obortis;
Corripior, validaque ſopor ſpe membra reliquit.
Interea celerabat iter pia Fama per Vrbes
Nuncia plaudentis hilares per iubila voces.
Obſtupui, grateſque dedi felicibus Vmbris:
Iò, dixi, incolumem medicina Epidaurius egit
Ecce Virum; hanc faciunt iteratis vocibus ipſa
Somnia grata fidem. Saluè ALBERICE, ſimulque
CAROLE ſaluè, omneſque Lares ſaluete CYBEI.

F I N I S.



10 à 14h

MC